



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 64. Montferratense bellum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

nec imaginariis Revelationibus egeat. Sæc. XVII.  
A. C. 1614.  
Nec tamen propterea quicquam dene-  
gatum volumus sanctitati hujus Virgi-  
nis, quæ cælestes gratias ex puro fonte  
hauserat, primum vel aliorum malitia  
aut simplicitate adulteratas.

De eadem hac Virgine Bollandi  
Continuatores hæc scripta reliquerunt:  
*multam operam dedimus, ut antiquam ejus  
vitam nancisceremur scriptam vulgari lin-  
gua ab ejus socia & discipula Sorore Ma-  
ria Evangelista, ad hoc divinitus literas  
edocta; verum neque id successit, neque ut  
successisset, ea vita hic poni potuisset, quia  
mortua Joanna est anno millesimo quin-  
gesimo trigesimo quarto, adeoque in-  
tra terminos Decreti Urbaniani, & causa  
beatificationis agenda erat Romæ, ubi suspen-  
sa dicuntur tantisper omnia: quod & nos  
facimus, ne iudicium Ecclesiæ præoccupare  
videamur. Horum quoque vestigia pre-  
mens, quæ addere possem, silentio  
prætereo.*

## §. LXIV.

*Montferratense bellum.*

Gliscentibus licet civilis belli flammis *Bald. Chrono-  
moral. ad  
hunc ann.  
Ferrer. Hist.  
Hispan. cap. 2.  
p. 193. t. 1.*  
in Francia, nihilominus Ludovi-  
cus XIII. Rex Metropolin suam orna-  
mentis, ac Regnum salutaribus insti-  
tutis firmare nitebatur; quippe præter  
edi-

Sæc. XVII.  
A. C. 1614.

*Gramond.  
Hist. Gall.  
l. I.*

edictum, quod in Monomachos majore quam antea severitate promulgari iusserat, insuper Jesuitis in Regno auctoritate sua stabilitis, Judæos, qui e Lusitania & Batavia in Franciæ Regnum irreperant, novo decreto proscripsit, novique pontis, qui *Marianus* dicitur, fundamenta inter Turnellam, & D. Pauli Basilicam jecit, eodemque tempore Henrici IV. Regis, Patris sui statuam equestrem in ponte novo apud Augustinianorum cœnobium erigi curavit: Parum tamen abfuit, quin prudentissimus hic Rex, cum domesticas sopiret dissensiones, extero implicaretur bello, occasione nata ex morte Francisci Mantuani Ducis; cum enim Fridericus Gonzaga Mantuæ Dux Montisferrati, de cujus possessione Sabaudix Duces contenderant, Marchio & hæres a Carolo V. institutus, & postea a Maximiliano II. Imperatore Dux Montisferratis nominatus esset, hæc eadem Cæsarem Benevolentia erga Gonzagæam domum circa Montferratensem successionem permolesta acciderat Carolo Emanueli Allobrogum Duci, qui, ut litem dirimeret, omnia sua jura circa hunc Ducatum in Margaretham filiam suam, Francisci uxorem, ejusque posteris transtulit. Postquam vero Franciscus sine prole mascula decesserat, ac

Ferdi-

Ferdinandus ejus frater Mantuæ & Sab-  
audus hanc successionem impugnare  
cæpit, suamque Filiam de hoc animi  
proposito certiore reddens, eamque  
gravidam ratus, unacum Maria Nepte  
sua sibi restitui petiit, reclamante Fer-  
dinando, qui donec mascula forte pro-  
les nasceretur, se administratorem esse  
contendebat. Hucusque incruentus in-  
ter lites hæc agitabatur controversia,  
quæ autem non jam jure sed ferro di-  
rimenda credebatur, postquam Hispa-  
ni Ductore Asculano Principe Marga-  
retham cum sua filia in Sabaudiam ab-  
ducturi in Mantuanam ditionem irru-  
perant, quorum tamen vim Ferdinan-  
dus adhucdum declinabat, caussatus,  
quod Ducissæ discessum absque Cæsaris  
& Franciæ Reginæ consensu permittere  
haud posset, atque ab eodem Cæsare  
Mariæ Neptis suæ tutor constitutus es-  
set. Tertio post Mense Margaretha,  
cum nequaquam uterum gestare cogno-  
sceretur, ad Patrem remittitur, ejus  
tamen filia retinetur, donec Imperator  
de successionis jure inter Ferdinandum  
& Mariam controverso pronuntiasset.  
Agitabatur quoque hæc lis inter Jure  
Consultos, qui scriptis suis per Italiam  
vulgabant, Mariam successionis capa-  
cem esse, Ferdinando autem nonnisi  
Neptis

Sæc. XVII.  
A. C. 1614.

Sæc. XVII. Neptis tutelam competere. Suffra-  
A. C. 1614. gantur Ferdinando Cæsar & Franciæ  
 Regina, ac Venetorum Respublica,  
 Sabauda Hispani nascente diffidio fave-  
 bant: Tandem a tribunalibus, & Ju-  
 reconfultis, ut mos est Principibus,  
 itum est in arma; cum enim cedere  
 Montisferrati jure, possessioneque, Fer-  
 dinandus abnueret, ut vi vim urgeret  
 Sabaudus die vigesima secunda Aprilis  
 ex Vercellis in Montferratum repente  
 cum peditum, equitumque viginti millibus  
 irrumpit, Tonari Padique fluviorum  
 transitum obsidet, loca multa, muni-  
 tiones firmas, excepta Casali, occu-  
 pat, Montcalvum, Albam & Trinum  
 urbes arietibus perfringit, admotisque  
 scalis superat, plebis denique agre-  
 stis aut fugam, aut prædam, ingen-  
 temque exactionem facit. Ex adverso  
 Ferdinandus in Sabaudi terras irruens,  
 oppida, castellaque complura rapit,  
 vastat, incendit, atque in sylva qua-  
 dam hostile agmen, specie fama-  
 que majus profligavit.

## §. LXV.

*Pacis consilia Mantuanum inter &  
 Sabaudum.*

*Khevenhill.* Mutuis hisce vastationibus Italiæ Prin-  
*tom. 8. p. 625.* cipes excitati rebus Juribusque suis  
 pro-